

Oswald Myconius¹⁾ an Vadian.*Zürich. 1517. November 1.*

Empfehlung eines jungen Zürchers, welcher Studien halber nach Wien geht.

Myconius Ioachimo S. D.

Antea semel ad te scripsi, Ioachime doctissime; iam iterum venio. Non tamen sum adeo stupidi ingenii, quin intelligam, literis meis ineruditatis atque insulsis molestiam tibi potius adferri quam voluptatem. Accedit, quod tibi sum ignotus, quare dicere posses: Quid mihi tandem cum tuis literis? Unde in primis veniam peto; nam quicquid facio, facio rogatus, ita tamen, ut nihil queat a me peti, quod subirem lubentius; tantum scirem, aliquo modo rem tibi gratam fieri. Mittit ad te filium civis Tigurinus, homo huiusmodi erga doctos animi, ut vel ob hoc ipsum non tantum favorem, sed et beneficium mereatur. Hac autem de causa mittit, ut tuæ subsit curæ, conditione addita, ne quicquam tibi sit faciendum frustra. Adulescens, quem coram vides, ingenium habet non prorsus ignavum, de

quo et illud non absurde dicere posses: οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει. Magni nominis non admodum habet curam, sed scientiæ; pro isthac ratione rogat pater et ego, quantum in me est, flagito, ad hos vel illos autores^{a)} audiendos accommodos. Formulam edocui; quam si sequetur, forte minus aberrabit. Illud ante omnia rogamus — scis enim quod προβάτων οὐδέν ὄφελος, ἐάν *W. aus* ὁ ποιμὴν ἀπῆ —: ne sinas eum nimium vagari, neque se illis adiungat, qui peiorem quam meliorem potius reddere possunt. Quod si efficies, nihil erit, quod olim conqueraris, tuis laboribus non satisfactum. Minime dubito, si nosses patrem, quin ultro prosequereris, quod nos magnopere rogitamus. Fac intelligam, me quoque aliquam apud te gratiam habere. Vale, Helvetiæ specimen. Tiguri, Kalendis^{b)} Novembris, anno MCCCCXVII.

Ioachimo Vadiano, poetæ, oratori atque philosopho eximio,
medicæ artis peritissimo, observando suo.

a) „autores“. — b) „Calendis“.

¹⁾ *Oswald Myconius* (eigentlich *Geisshüsler*), geboren 1488 in Luzern, war Lehrer in Basel, seit 1516 an der Grossmünsterschule in Zürich, wurde 1519 an die Stiftschule in Luzern berufen, musste wegen seiner Parteinahme für die Reformation seine Vaterstadt verlassen, begab sich 1522 nach Einsiedeln, 1523 an die Fraumünsterschule in Zürich und wurde dann Professor an der Hochschule zu Basel, wo er bis zu seinem Tode am 14. October 1552 wirkte. Er war ein treuer Freund und Berater Zwinglis und trat unerschrocken für die neue Lehre ein. In unserer Sammlung sind 40 Briefe des Myconius an Vadian (worunter 2 in Bremen) aus den Jahren 1517—1549, ausserdem einer an Melanchthon und einer an Berthold Haller.